
...tinus.

Bieżanowski Stanislai Jos: Posthuma inextinctae virtutis claritas A. M. Martini Radymiński.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002800

POSTHUMA
Inextinctæ Virtutis Claritas,
Clarissimi olim, & Excellentissimi Viri,
D. M. MARTINI RADYMINSKI,
Philosophiæ Doctoris, Collegæ Maioris, Tradnouiani Professoris, Protonotarij Apostolici,

Magno omnium dolore extincti,

Ex eiusdem virtutum, & eruditionis luce clarissima,

Ad perennem immortalis gloriæ memoriam,

DEDVCTA;

ET

Inter luctuosas Iustorum funebrium exequias,

Ab Vniuersis Academiæ Ordinibus,



AD

Ædes D. Michaelis Archangeli,

PP. Carmelitarum Discalceatorum Conuentûs Cracouiensis,

Eidem persolutas,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leopl. Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracou. Doctore.

Debitæ gratitudinis, & mæstissimi cordis affectu Victuræ perennitati

SERVATA.

Anno Restauratæ Salutis 1664. Die Septembris.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes & Successores Lucæ Kupisz, S. R. M. Typog.



POSTHVMA
Inextinctæ Virtutis claritas.



SI lachrymis fas eſt, quoties ſinè lege feruntur,
Lugubrem poſuiſſe modum; nec tota per vndas,
Tempeſtas mœroris abit, quam corde locamus;
Immodicas modicis liceat frenare catenis
Mœſtitiæ vires, & acerbi pectoris ingens
Siſtere diluuium; donec præcordia ruptis
In lachrymas rurſum deſtillent vda fluentis.
Vmbrarum quas vrna trahit, triſtesque cupreſſi,
Sæua quidem vis eſt. nil hoc velamine fati
Triſtius, ad lucis quoties diſpendia fertur:
Non tamen hæc mentes vis vrget ſæua togatas,
Vmbra quibus vita eſt; ſed lux clariſſima mortis.
Viuimus ante diem, Cathedra, librisque ſepulti,
Immorimurque togæ; tantò fulgentiùs olim
Arſuri, quantò luci minùs, àtq; prophanæ
Debuimus ſcenæ. latebris quæ clauſa togatis
Gloria, ſe vano populi cuſtodit ab æſtu;
Eruptura palàm ſeruat compendia magni
Luminis, & tantò collectior ibit in orbem.
Nec tua lux animi, nec quæ virtutibus arſit
Lampas inextincti ſplendoris, flebile multis
Vmbrarum patietur onus, Clariſſime quondam
Phœbe Sophûm RADYMINSKI. nam tu pulchrior indè
Splendidiorq; redis, multorum fama perennes
Vnde timet tenebras, feretrum tibi grande theatrũ
Lucis, & à tumulo cumulus tibi ſurgit honorum.
Mergitur Oceano Titan, feſſumque ſub vndis
Neptuni Piroenta locat; vacat orbis, & altus
Omnia ſomnus habet: ſed quis tunc buſta diurni
Luminis eſſe putet? cùm Phæbe conſcia tanti
Splendoris, rutilæque faces, iubar omne, decusque
Ad Solis referunt, quamuis ſub nocte latentes
Peruigiles radios; quos mox Titonia coniux
Cum Roſeo vehet ipſa die, cæloque reducet.
Scilicet in claros vmbrarum nulla poteſtas;
Qui ſibi, non aliis debent primordia lucis;

Et magis



Et magis à proprio mentis fulgore nitefcunt;
Fortunæ variam quam fi librentur ad augem.
Hæc tua fors fuerat RADYMINSKI docte, tuæque
Immortalis honos, & fax nitidiffima laudis
Ex animo deducta tuo, meritoque laborum;
Quàm proin ambiguâ rerum fub imagine ferri,
Occafumque pati, communi lege cadentûm;
Haud mihi perfuadet, quæ te certiffima debet
Fama fequi, concorsque virûm fententia de te,
Pofthuma virtutis folidæ tibi nomina feruans.
Nam mihi natales quoties contemplor, & ortus
Vir præclare tuos; toties cunabula lucis
Palladiæ mentem fubeunt. dum Roxica tellus,
Eoæ propior Plagæ, fæcundaq; magnis
Numine propitio, Doctorum mentibus, inter
Samboritana tulit te prifci oracula Phæbi. — Patriâ Samboritanus.
Hîc nafci decuit, decus olim grande fuorum,
Victurumque bono communi; quod tua fenfit
Ignoto euigilans vigilanti gloria bufto; — Gregorio Vigilantio Samboritano monumentum Marmoreum impenfis proprijs pofuit.
Poftque tot ætates, cinerum fqualllore fugato
Marmoreo decorata tholo; conftaret vt orbi
Quam bené Samboriæ RADYMINSKI lucis honores
Curaret, Patriumque iubar quám crefcere magnis
Vellet in augmentis; qui folo nomine tactûs;
Noluit vt tanto cineri grauis incubet, atque
Offa premat tellus. nimirum regula vitæ,
Normaque virtutis folidæ, Vigilantius illi
Samboritanus erat; vero quem calle fecutus,
Maiorum docuit quantum veftigia profint.
Nempè illi prima hæc fapientia, fummaq; vifa eft;
A teneris feruare Patrum, quo tramite ductum
Collimaret iter; prifcis laudataque fæclis
Vota fequi, virtute pari, fidoque labore.
Huc geminæ laurus directa infignia, poftquam
Caftaliique virum fontes, mufæque fluentis
Potauere fuis; fuadæ nectarque difertum
Os verbis illime dedit; quo fumma deinceps
Ille Cathedrarum tenuit faftigia femper.
Huc quoque peruigilis ftudii Peripatus, & alta
Spectauêre Sophum facraria; donec in Orbis
Progreffus faciem, longinquas viferet oras.
Terrarum quafcunque adiit, lectiffima quæque,
Atq; olim magnis rerum conatibus apta
Obferuans, patriæ, Cracijq; ad commoda Phæbi.
Sic Alemanne tuas adiit, sic Auftria gentes;
Et quà fe prifcis iam collibus altiùs, orbi

 Vatica-

Vaticanus apex, Romana tollit in vrbe;
Et quà Tyrrhenum vasto latus vnda flagellat

Peregrinatio ad exteras Nationes.

Circumuecta mari; Graias quoque sæuus in oras
Adria prospectans, tumidos quâ proijcit æstus;
Imperij normas, census, decora, arma, situsque;
Ingenia, affectusque hominum, commercia linguæ,
Publica Doctorum subsellia, mente reuoluens;
Quanta peregrinis docuit prudentia terris,
Maturo veniat sapientis pectore culta.
Ergo sinum Patriæ, tantò iam clarior, atque
Sarmaticas repetit, curis perfunctus, Athenas;

Vocatio ad Collegium Minus, & Maius.

Inserriturque viris; quos Lechica Pallas ad vnguem
Formauit, certaque dedit gaudere Cathedrâ.
Hîc mihi iam liceat, lucis momenta secuto,
Clariùs ad tanti contendere nominis augem;
Atque togatorum medio quam fulserit axe,
Fax hæc clara Sophûm, niueo candore fateri.
Socraticas noctes, & quidquid docta Cleanthis
Lampas habet magnum; seu quidquid dura Promethêi
Fabula, continuas voluens sub imagine curas;
Archimedisque animum, Siculâ qui fixus arenâ,
Victoris Latij tonitru non sensit, & enses;
Non mihi Parrhasij referant arcana Lycei
Attica neue canat; satis est, quod Cracidos altæ
Doctorum series in te suspexit, & vno
Censeri voluit, vir præstantissime, censu.
Sudasti quâ parte tui perfectior ires
Ad suadæ, Stoæque decus; nec dulcior vnquam
Esca animi, nec cara quies, nisi iuncta labori;
Qui monstrum lethale alijs; tibi vita, tuæque
Indolis immortale alimentum tanta proindè
Cura tibi, quamcunque vocat te Pallas ad artem
Muneris exacti; tantumque per ardua nomen
Rostra; togatorum quoties insignibus ornas
Docta iuuentutis capita, & gratissima Phæbo.

Orationes habitæ in Promotionib9.

Audijmus, sensimq; redit memorabilis illa,
Eloquij dulcedo tui; cum parua scholarum,

Anno Dñi 1644.

Imperij vastis aptare negotia rebus,

Schola est parua Respublica.

Arbitrio suadæ poteras. mox optima morum,

Anno Dñi 1645.

Lechiacæ pubi, formans præcepta Stagyræ,

Studiorũ Nobilis Poloni nidus Philosophia Moralis.

Ad nidum prolis generosæ corda vocasti.
Quanta Vladislai fuerit regnantis, in Orbe

Eodem Anno.

Sarmatico, pacis maiestas; quamq; beatæ

Felix imperiũ Polonum regnante Vladislao IV. Anno 1646.

Portio fortunæ, te decernente, Polona
Constituit Pallas. maduit sed nectare docto
Nil magè; quam matris carissima nomina, magnæ

Per Le-

Per Lechiam matri ſtudiorum, vindice ſuadâ,
Dùm tribuis, doctoq; animos ſermone tryumphas.
Academia Crac. eſt vera Mater.
Mercatura dein ſapiens, quibus optima curis,
Lucra ferat; quantùmq; Arabes tranſcendat, & Indos,
Anno Dñi 1647. Sapiens mercatura.
Quamq; bonæ ſpei fæcundum ſit caput ipſa
Diuitijs opulenta ſuis, prædiuite fandi
Vbertate probas. pariter facundus, & acer
Stemmata Nobilium, Laurus cinxiſſe togatas,
Eodem Anno Laureata Nobilitas.
Dùm memoras; gentiq; olim dilecta Polonæ
Ornamenta togæ, ceris inſerta vetuſtis,
Ad Lechiæ ſpectare decus, conuincere certas.
Vidimus & dotem per te regalibus æquam,
Anno Dñi 1648. Dos Academiæ Crac. paupertas.
Præſtantemque opibus; quam paupertate togatâ
Metiri placuit. celſam quoque Palladis arcem
Eodem Anno Arx Sapientiæ tutiſſima.
Vidimus, armiſoni contra furibunda Gradiui
Bella, truceſque animos; quos tùm Coſacica fudit
Tempeſtas, cæſæq; acies caſtriſq; fugatus
Miles, & extremæ propior res noſtra ruinæ.
Sed neq; religio doctas tibi credere laurus,
Adq; coronati capitis ceſſabit honores;
Anno Dñi 1649. Laureata Corona Religioſa.
Qui ſibi Palladiâ deberi vincis in arce,
Hoc virtutis opus; nec vertice pulchrius vllo
Spectari; quàm Religio quem ſacra reuinxit.
Altius hinc matura tibi facundia ſurgit;
Iamq; doces, regni quod præſtantiſſima pars ſit,
Anno Dñi 1652. Academia eſt pars Reipubl.
Alma Craci Pallas; medioq; in corde locanda
Sarmaticæ volucris; paribus quam ſæpe reuolui
Fortunæ vicibus, ſimiliq; reſurgere fato,
Conuincit rerum facies, & temporis ordo;
Totque periclôrum ſeries, tot fulmina belli:
Poſt quæ, tu ceu dulcis olor, gratiſſima cælo,
Extremo ſermone canis, ſoluiſq; tributa;
Grande bonum ereptæ celebrans, ex ore Leonis,
Anno Dñi 1659. Grande diuini beneficij ob ereptam, ex faucibus Leonis Suecici. Patriam, Vrbem, Academiam, Argumentum.
Vandalici patriæ; vectigaleſque togati
Perſoluens grates populi; quas gratia caſtis
Ipſa videbatur manibus formaſſe, fauiſq;.
Hæc tua lux ſuadæ; quàm publica vota probarunt;
Quæq; tibi victura micat; ſed non minor ambit
Te diuina Sophûm lampas, ſplendorq; Stagyræ.
Herculeus tibi namq; labor, cùm neſcia vinci
Pectora, mille animi curis, ſtudioq; dediſſet;
Terna Decanatûs meruit faſtigia, treſq;
Inde tibi Laurus, triplici conamine ductas,
Triplex Decanatus in Philoſophica Facultate.
Ad delubra Sophûm poſuit. Deus optimè! quam tunc,
Præſide te, ſtudij facies pulcherima! quamque
Sedula cura tibi, tanti rem muneris, inter

Publica Doctorum dextré certamina obire;
Communiq; bono discentûm, mille laboris
Tædia non sentire; suis modo Sparta Sophorum
Legibus ex voto Patriæ titulisq; feratur.
Sic vbique exactus, non perfunctoria spiras,
Nec leuibus curis venientia. Viderat istud
Cursus Vladislauianus. Sparta biennalis longè clarissima cursûs,
Plena operis, laudisque decus latura perenne;
Fascia conclusionum ad disputandum ex Cursu proposita. Fascia cui tandem perfecta, coronidis instar
Imposita est; quantusquè viri sudauit in isto
Conatus studio, productâ luce probauit.
Decissio Quæstionis Iuridicæ pro Adm. R. D. Stanislao Rozicki. Sic Themin ille Craci, sacrum consique tribunal,
Rozicii festis cum Doctoralibus olim,
Visus adornasse; & legum penetralibus aptam
Ingenij monstrasse aciem, sic grande theatrum
Decissio Quæstionis Theologicæ pro Adm. R. D. Alberto Dabrowski S. Theologiæ Doctore. Theologæ Cathedræ, virtus cum digna mereture
Dabrovii, felice gradu sublimia scandens,
Dogmatis, ille sacri perplexa arcana resoluit;
Adque facultati docuit quam proxima tantæ
Pectora sortitus gereret, pronusque dicaret.
Quippè illi mens alta fuit, par omnibus, & se
Ad quodcunque genus studij, suadàque styloque
Inclinans facilè, ignauæque inimica quieti,
Acri iudicio pollens, & prouida cautis
Vndiq; consiliis, constans, & nescia frangi;
Quod Leo Vandalicus sensit, stupuisse coactus
Mascula corda viri; dum murus Acheneus illi,
Infracta animi constantia sub tempus belli Suecici. Infracta virtute minis, & fraude videtur.
Insigni exemplo stetit inconcussa Mineruæ
Gloria tùm Craciæ; stetit illibata togati
Integritas animi; vapidumq; exercuit hostem
Magnanimum pectus. facies quod publica regni
Rursus, in Augusto consessu munere vidit
In Generalibus Regni Commitijs rei Academicæ insignis cura. Eximié functum commisso; dùm noua vanis
Gymnasia assurgunt titulis, splendorq; vetustæ,
Maiestasque Scholæ, grauibus conuellitur ausis;
Illustres animæ ni tum conatibus istis,
Oppositos sensus tenuissent; quod tua fecit
Solliciti virtus animi, par dulce virorum.
Nempè boni communis amor, mordacibus ipse
Dulcorem curis affuderat; & leue fecit
Tantæ molis onus. calamo qui mille labores
Iniunxit, doctamque manum sudare, perenni
Iussit in obsequio, rerum dignissima seruans,
Deque secutura cupiens ætate mereri,
Hoc egit sacræ Diuina oracula legis,

Elatio

Elatio, patrij reuocans sermonis ad vsum;
Castaque virgineæ plantans viridaria laudis,
Deliciasque bonæ mentis floralibus ornans,
Deuoto natis calamo. nam rore salutis
Purgantes flammas extinguere, cordaque mersis
In fundo vitiis, vero mollire dolori
Nonne amor ipse dedit? sacro pietatis ab igne
Succensus; qui casta etiam consortia cætûs
Virginei, niueasque animas, vernacula ferre
Virtutum monita, & leges curauit honestas,
Omninò prodesse uolens; qui publica regni
Dùm siluisse nequit dispendia; protulit ingens,
Agnoscique dedit damnum; quod sæpe recusus
In speciem nummus pretio fallente, Polonis
Inflixit rebus, nullo prohibente ruinam.
Se tamen haud alias, tanto dedit impete mentis
Ad calami curas, indefessumque laborem;
Insolito quám cúm vix comparabile ductu
Cæpit opus, deducens res ab origine prima
Tot per circuitus per tot casusque, vicesque,
Ad numerum seriemque suam, feliciter omne
Componens sæclûm. mox accuratiús ipsos
Annorum cursus, & quos schola publica regni,
Exegisse dies meruit, conamine vasto
Obseruans; totum monumenta quod aurea, doctæ
Palladis insigni quondam cum laude loquentur:
Quasque per aduersos res Iagiellonica casus,
Sollicitì curas exhauserit ante laboris;
Quâ virtute virûm steterit, quantisque superstes
Litibus, infestos supèrauerit vna furores,
Veraci referent ad posthuma sæcula scripto.
Sed mihi quæ tandem, modica testudine nixo,
Audacis Musæ spes, & non æqua potestas?
Lucis opus tantùm tenui, dedùcere cantu.
Tu lux, tu mensura tui, tu maxima laudum
Ipse tibi series, curis maioribus olim
Digne, secuturi Radyminski gloria sæcli.
Qùæ tua lux fuerit vitæ; quantisque decora
Ex animo ductis virtutibus; vltima vitæ
Ostendit scintilla tuæ. dùm colligis ignes
Queis tibi præluxisse datum, fulgentior Orbi
Ortus es, æternumque tibi iubar inde parasti.
Tùm tua se pietas, animi constantia, spesque
Nixa Deo, secura quies, mens conscia recti,
Ordoque perpetuus vitæ, seruataque sanctæ
Integritas legum, constans dilectio veri,

Scriptà in lucem sub alieno nomine edita.
Elucidariũ Theologicum.
Hortulus Virgineus.
Ros Salutaris.

S. Euphemia Polona.

Libelli de re monetaria editi.

Ex manu scriptis restant Annalium Centuriæ tres.

Fastorum Tomi quinque.

Controuersiarum Academiæ accurata descriptio.

18. Augusti inter octau. Assumpt. B. M. V. piè & placidè moritur.

Ad pla-

Ad placidæ mortis momentum clariùs, vmbris
Exerûere ſuis, & apertâ luce micantes
In ſolidum fulſere decus; ſuſpiria dum tu
Extremoſque polo gemitus tranſmittis; & inter
Aſſumptæ in cœlum ſolennia feſta Mariæ,
Virgineos ſequeris felici ſorte tryumphos.
Hæc tua ſors vitæ ſimilis, finemque coronans;
Noſtra ſed in lachrymis, heu quàm duriſſima ſors eſt!
Quamque graues animi ſenſus! quos auget vbique
Magnus amor, pretiumque tui; teſtataque nobis
Pectoris in Matrem propenſi ſumma voluntas;
Inque meæ ſortem pietas rariſſima Muſæ;
Quæ tibi victuræ, dum poſthuma lumina famæ,
Accendit, pulchroque locat ſuper axe poloni
Climatis; immortale cupit te fulgur Olympi
Ambiat; & Cracia Te nobile ſydus in vrbe,
Ad normam populi faciat clarere togati.

INSCRIPTIO TVMVLI

D. O. M.

Viri ſapientis tumulus, lucis in umbra radius eſt.
Quorum vita ſpeculum, conuerſatio exemplum, Sapientia lux fuerat;
eorum tumulus, publica; mortalium eruditio.
Orientem imperantium adorare, ad fortunam; Occidentem ſapientûm intueri,
ad vitæ profectum ſpectat.
Hæc veræ claritudinis nota,
communem ingredi, non ſentire noctem;
adeò,
Vt ignem ſinu fouere, geſtareq; audeat;
qui Clarorum virorum, totam in vrna lucem concludi putat.
Erumpet illa, tota quantumuis coniuret mortalitas:
immortalitatis quippè portio, naturæ ſuæ obliuiſci nequit.
Mauſolæa, araſque tumulis qui ſuperinducunt, in vmbras abiêre toti.
Miſera lux, quæ ex alieno quæritur;
Confeſſio quippè noctis, lucerna eſt.
Sapientûm gloria, fons natiui luminis.
Clarere illi nunquam deſinunt; qui lucem ſuam ad manum ſemper habent;
in vrna magni, in vmbra clari.
Adhucne dubitas viator, & ſummos digitos mordes?
Subſiſte tantillum, & cogita; ad lapidem veritatis huius
verè Philoſophicum ſtetiſti.

Clariſ-

Clarissimus olim & Excellentissimus vir,

M. MARTINVS RADYMINSKI,

Philosophiæ Doctor, Collega Maior,

Protonotarius Apostolicus,

Animo, professione, calamo, vitâ, obitu,

Verè Sapiens, verè Philosophus,

Sarcophagum hunc, non tam exuuijs mortalibus, quam luce impleuit.

Si ex eorum censu, quos Phæbus amauit, vel minimus es;

cum hoc nomen agnoscis, nosti quò digitum intendam.

Præcipua illi, à virtute, & eruditione claritas,

Latere nescia; quantumuis modestissimo animi sensu, sæpiùs coacta.

Ingenij vim, lucemq; natiuam, lux publica maiorem fecit.

Iagellonicæ Palladis in sinum delatus, ita eidem semper deinceps adhæsit;

ceu non alia matre genitus, eruditionis, non naturæ partus fuisset.

Geminas laurus Academicas, ita meruit, vt annulus gemmas;

non tam insigniri cupiens, quam insignire paratus.

Ex quo Coronis hisce vinctus est, fontem suum coronare nunquam desijt;

animo, virtute, calamo, eruditione,

Austriam, Germaniam, Italiam cum adijsset,

Fontem suum vbique respexit.

Darij arcam dixisses

in qua non Mæonidis; sed aureum Academiæ nomen,

quocunque terrarum circumlatum est.

Academicam stationem præ omnibus eligens,

hoc vnum egisse, visus est;

Vt ad Maiorum exempla veniens, eòusque in eorum obseruantia proficeret;

donec ipse in exemplum prodiret.

Nobilissimam vtriusque Collegij spartam, vt tantò sustineret validiùs;

ipse prius in solido virtutis & doctrinæ stetit.

Nemo scrupulosius horas dimensus, nemo minus in horas vixit.

sui & alieni temporis, parcissimus, vigiliarum, & laboris prodigus,

Officium ipse suum dùm à se rigidè exigit, ipse sibi

virga censoria factus est.

Hinc

tanta in rostris, cathedrisq; viri dignitas,

tantus in ore lepos, tanta in animo vis;

Vt expectationem de se cùm nunquam non auxerit, vicerit semper.

Professioni suæ dùm ad vnguem respondet;

non scientiâ tantùm; sed vitâ quoque Philosophus esse voluit;

 Ieno-

Ienocinia vitæ, animi affectus, occasionū naufragia,
solitudine circumscribens, castigansque;
& conscientiæ vacauit, & sapientiæ.
Ipse cum aliorum profectui, & disciplinæ intenderet;
Magisterium in se soli continentiæ, & modestiæ permisit.
in vmbra quoq; erudita cum latere elegisset;
à sola nonnisi veritate in lucem sæpiùs protractus;
Fauere ipsi, quantumuis malè interdum ab ea habitus, nunquàm desijt.
Casu viuere nolens;
ex destinatò omnia, consilijs facta præueniens, direxit;
eo vitæ ordine, quo mori nunquam timeret.
Inuenit eum vltima dies, tàm compositum; quàm si omnis illi suprema fuisset.
Nimirum,
Philosophari à meditatione mortis incipiens;
vitam, & Philosophiam rectè definiuit, dùm rectè clausit.
Christianâ Pietate, Fide, Constantiâ munitus.
in mortis ictum non incurrit, sed venit.
In summa mortis malacia,
Omnia placidè componens, fauentibus Etesijs ad æternitatem soluit;
naufragio minimè obnoxius;
qui vltimæ voluntatis tabulas, tanto ordine, tantaque pietate compactas;
securæ ad Fortunatas vitæ æternæ Insulas nauigationi, iam olim parauit;
id vtique facie ad faciem contemplaturus;
quod in sua Fundatione Theologica, sub specie, & in ænigmate videri, prædicariq; voluit.
I, nunc!
& Sapientûm gloriam in vrna clarêre nega;
quisquis in hoc viro, veram vitæ, & mortis claritudinem non agnoscis.
Abijt ille, quò boni suspirant, vocanturque.
Tu
si lucida virtutis vestigia sequi,
& metam consequi vis;
Magno pietatis affectu, sensuque,
erudientibus ad Iustitiam multos promissam,
lucem viro Clarissimo beatissimam
apprecare.

Obijt Anno Salutis 1664. Die 18. Augusti.

Anno Ætatis suæ 54.



